

Hoc sine, hac ratione animam meam è morte eripuisti, vt in lumine viuentium constitutus, coram A
 te ambularem diutiùs. Quid est autem illud, *Coram Deo: Ambulare* אלה לברי לprimùm est, agere in gra-
 tia & fauore Dei. Sicut vicissim, abijci à facie Dei, est esse in indignatione Dei. Sic dicebat alibi: Pro-
 iectus sum à facie oculorum tuorum. Nam ita solent, abijci à facie principum, quibus illi indignan-
 tur, vt non licet agere in conspectu impiorum. Deinde est viuere ad nutum Dei, illiq; seruire, illi se-
 se accommodare. Est enim præstò esse, paratum ac promptum se ad obsequendum in omnibus ex-
 hibere. Sic Samuel scribitur Domino ministrasse ante faciem Heli sacerdotis: id est, ad nutum Heli
 sacerdotis.

Docemur ergo hoc loco, primùm vitam nostram, quòd adhuc sumus in lumine viuentium, ad-
 scribere Deo, qui & nostras animas non semel è morte eripuit. Deinde, quò referenda sit vita no-
 stra, ad quem finem tendere debeat. videlicet, vt agnoscamus nos ob eam causam in vite superstites
 esse, vt viuentes potiamur gratia Dei, ambulemus coram illo, parati ad omnem illius voluntatem,
 laudantes ac benedicentes nomen eius. Iuxta illud: Nos qui viuimus, benedicimus Dominum.

Conueniet autem ista gratiarum actio maximè Christianis, quorum animas Deus verè liberauit,
 & eripuit è morte, non corporea, sed æterna: vt ambulent coram ipso in lumine viuentium, in æter-
 na scilicet vita & felicitate, ad quam per gratiam Christi redemptoris sunt vocati, vt simul agnosca-
 mus beneficium redemptionis, & finem ad quem tendimus, ad quem sumus vocati in Christo Iesu.
 Nam hîc coram Deo ambulamus ænigmatè, fide scilicet & spe: tunc autem facie ad faciem coram
 illo comparebimus. Vide Coloss. 1. Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit ad participationem
 sortis sanctorum in lumine, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ, &c.

PSALMVS LVII.

TITVLVS.

AD PRÆCINENDVM, NE PERDAS MICHTHAM DAVIDIS,
 cùm fugeret à facie Saulis in speluncam.

VERS. I.



MISERERE mei Deus, miserere mei: quoniam in te fiduciam habet anima
 mea, & in umbra alarum tarum spero, donec transeat iniquitas.

2. Clamaui ad Deum excelsum, Deum qui benefacit mihi.

3. Misit de cælis, & saluauit me, ad opprobrium voranti me, Selah: mi- B
 sit Deus bonitatem ac fidem suam.

4. Anima mea in medio leonũ, habito inter homines inflammantes, dentes eorũ
 lancea & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.

5. Exaltare super cælos Deus, supra omnem terram gloria tua.

6. Rete parauerunt pedibus meis, animam meam incuruauit: foderunt ante faciem
 meam foveam, inciderunt in eam.

7. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & psallam.

8. Excitare gloria mea, excitare psalterium & cithara, manè excitabo.

9. Laudabo te inter populos Domine: psallam tibi in nationibus.

10. Quoniam magna est ad cælos vsq; bonitas tua, & vsq; ad nubes fides tua.

11. Exaltare super cælos Deus, super omnem terram gloria tua.

LECTIO.

Vers. 3.

Vers. 4.

Ad opprobrium voranti me.] Ebr. אהרהאפא, Græc. & Vulg. Lat. Dedit in opprobrium conculcantes me. Hieron. Exprobrabit conculcantibus me. Iustin. Exprobrabit absorbenti me. Felix: Ex opprobrio absorbentis me.

Anima mea in medio leonum.] Versum hunc Græc. & Vulg. Lat. sic reddunt: Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus. Filij hominum, dentes eorum arma & sagitta, &c. Hieron. Anima mea in medio leonum dormiuit ferocientium, Filij hominum, dentes eorum lancea, &c. Sic Iustin. Chald. Anima mea colligata tanquam in medio flammarum dormiuit inter carbones flammigeros, &c.

Vers. 6.

Animam meam incuruauit.] Ebr. בפה גפשי. Græc. & Vulg. Lat. pluraliter: Incuruauerunt. Hieron. ad vitandam numeri incommoditatem, reddidit: Ad incuruandum animam meam. Sic & Iustin. Pagn. Incuruauit se anima mea.

Vers. 8.

Manè excitabo.] Ebr. אעירחשחר. Græc. & vulg. Lat. Exurgam diluculo. Chald. Expergiscar ad orationem matutinam. Hieron. Surgam manè. Reliqua satis concordant.

TITVLVS.

Titulus remittit nos ad historiam, quæ habetur in insignis, c. 24. primi libri Samuëlis: cuius sunt duo mē-
 bra. Vnum, quomodo erga Deum se gesserit Dauid in eo periculo: alterum, quomodo cum Saule ho-
 ste suo egerit. Primum membrum exequitur hic Psalmus: alterum, caput prædictum. In quo tam
 multa & tam præclara pietatis insignia sunt, vt nescias quid quog; loco sit notandum.

Habetur hæc particula duob. etiã sequen- tib. Psal. & 75.

Habetur autem in titulo אל השחה Ne perdas: quod variè exponitur. Alij volunt, innui alterius cuius-
 dam Psalmi initium, iuxta cuius melodiam ista debeant cani. Alij de eo intelligunt, quòd Dauid ad Abisai
 dicebat: Ne perdas eum, cùm ille vellet dormientem Saulem perfodere: quæ vox, vt in insignis, merito memo-
 ria data est. Alij. volunt, ad ipsum pertinere Dauidem, quasi is ita deprecatus sit exitum, quòd intentaba-

1712